

peculiari Ecclesiae statuto teneri in dicta Leodiensi Cathedrali residere eademque Ecclesiae assiduum servitium praestare; tertio, quod reticuit legem a nonnullis Cardinalibus Legatis sic editam: „quod contra hujusmodi Ordinationem gratia nulli fieret etiam per quamcunque Dom. Papae vel ejus Legatorum indulgentiam, nisi Dom. Papa certificatus ad plenum de penuria Sacerdotum in Ecclesia Leodiensi plenam de ea et Cardinalis Praenestini Constitutione mentionem fecisset“; quarto, quod sub silentio praetermisit juramentum solemniter secundum Ecclesiae statuta emissum in actu, quo primam explevit residentiam; quinto demum, quia non exposuit, decanatu, quem obtinuit in Collegiata s. Petri civitatis Lovanii, adnexam esse animarum curam, et canonicatu, quem possidet in Cathedrali Leodiensi, esse injunctum ex Constitutione Sixti V. munus legendi sacr. scripturam juxta praescriptum S. C. Tridentini cap. 1. sess. 5. de Ref.

Caeterum, retento in facto, quod controversus canonicatus erectus fuerit ex statutis ejusdem Ecclesiae in presbyteralem cum onere assiduum residentiam et servitium Ecclesiae praestandi, necnon in praebendam theologalem ex Constitutione Sixti V., duo potissimum ponderanda sunt. Primo, quod, cum agatur de canonicatu requirente peculiari jure personalem residentiam et servitium Ecclesiae, non videatur sub amplissimis privilegiis universitatis Lovaniensis comprehensus, *Garz. de benef. part. 3. cap. 2. num. 112., modernus scriptor Lovaniensis* in jus Can. tom. 1. tit. 7. de Canonic. cap. 10. n. 10., *Emus Petra* ad Const. X. Bonifacii VIII. num. 20. in fin. tom. 3., itaut eundem canonicatum obtinens, quantumvis in publica aliqua universitate doceat theologiam vel jus canonicum, ad prae-

standam residentiam in ejus Ecclesia revocari debeat, si in illius cultu et servitio detrimentum eadem Ecclesia patitur, ut probant *Abb. in cap.: Super specula* n. 5. de Magistr., et in cap.: *Cum ad hoc de Cleric. non resid.* num. 1 et 2., *Card. Zabarella* n. 3., *Joan. Andr.* n. 1., *Hostien.* n. 2., *Butr.* num. 4., *Gonzal.* num. 2 et 4., *Fagnan.* num. 2. et per tot., citatus *author Lovaniensis* in jus Canonic. tom. 1. tit. 7. de Canonic. cap. 10. n. 10., *Pirhing.* lib. 5. decr. tit. 5. §. 2. n. 9.

Secundo, quod Canonicus obtinens praebendam theologalem ad continuam et praecisam residentiam arctatur, ut per semetipsum et non per substitutum publice legat et doceat sacram scripturam, etiamsi illius Antecessores eam docere nunquam consueverint, quemadmodum expresse statuit S. C. Trident. sess. 5. de Ref. cap. 1. ibi: „De caetero vero praebenda, praestimonium aut stipendium hujusmodi non nisi personis idoneis, et quae per se ipsas id munus explicare possint, conferantur et aliter facta provisio nulla sit et invalida“, et ita pluries rescripsit Sacra haec Congregatio et signanter die 11. Decbr. 1621 ibi: „Congregatio Concilii censuit, eum, qui praebendam theologalem obtinet et si ejus Praedecessores nunquam legerint, teneri tamen et ab Episcopo cogi posse id munus per se ipsum explere“; in *Bellunen.* 27. Apr. 1630 lib. 14. decr. pag. 280., in *Liparen.* 10. Maii 1631 ad III. dub. lib. 14. decr. pag. 431., in *Casalen.* lectionis 12. Novbr. 1661; licet tamen in *Urgellen.* disceptato dubio: An Canonicus theolog. concionare possit etiam per alium in casu? die 1. et 15. Dec. 1725 rescriptum fuerit: Posse, petita licentia a Capitulo.

Hinc vero inferitur, quod Canonicus obtinens praebendam theologal. neque

valeat assequi cathedram in universitate ejusdem civitatis, uti respondit S. Congreg. in *Pisana* 23. Maii 1648 lib. 18. decr. pag. 478 et seqq., quodque idem Canonicus non potiat Indulto, quod frunntur caeteri Canonici in Episcopi vel Ecclesiae servitium absentes juxta textus expressos in cap.: *De caetero*, in cap.: *Ad audientiam*, et in cap.: *Ex parte*, ibi 2. de Cleric. non resident., rescripsit S. haec C. in *Pacen.* 16. Dec. 1634 lib. 15. decr. pag. 135., in *Vicen.* 12. Sept. 1702, in *Anagnina* 12. Dec. 1676, et novissime in *Conversana* Officiorum Capituli 24. Sept. et 19. Nov. 1729.

Et demum, quod Canonicus praebendam theologalem obtinens privilegia tributa iis, qui theologiam aut jus Pontificium docent in publicis universitatibus, non suffragentur, ut ab illius Ecclesia abesse valeat, communiter notant Canonistae in cap. fin. de Magistr., et praecipue *Abb.* sub n. 5., *Pirhing.* in jus Canon. lib. 5. tit. 5. num. 9. vers.: Notandum secundo, et in terminis *Mendo* de jure academ. lib. 2. qu. 23. n. 269., ubi in fine ita subdit: „Et ratio postulat, ne docere alibi tenent, qui ad docendum in propriis Ecclesiis designantur, atque ob id munus percipiunt emolumenta et praebendae eis, praemisso examine, ad id obeundum conceduntur, quae non aliter forent concedendae, nec ad eas promoverentur, si possent illico ipsas deserere et ad academiam Salamantinam docendi gratia migrare. Et quidem post Constitutionem Eugenianam ejusmodi praebendae sunt institutae vel auctae in Ecclesiis, in quibus non dabantur, discernente id Concilio Tridentino, cujus cura et conatus circa id fuisset inutilis, si Canonici eas praebendas habentes virtute Eugenianae Constitutionis possent in academia Salamantina docentes commorari.“

Num autem ea, quae hactenus fuerunt adnotata, aptentur praesenti hypothese, ubi constat, Summos Pontifices Martinum V. et Eugenium IV. amplissima indulsisse privilegia quibuscumque Beneficiatis et Curatis doctibus theologiam et jus Pontificium in memorata universitate Lovaniensi, deinde vero Paulum V. in dicta ejus Constitutione post Concilium Tridentinum edita eadem privilegia abrogasse dumtaxat quoad eos, quibus animarum cura incumbit, judices erunt EE. VV., quibus definiendum proponitur:

*An Canonicus Stouppii, attentam novissimam Constitutione SSmi D. N., teneatur residere in Ecclesia Cathedrali Leodiensi et adimplere per se ipsum onera sibi incumbentia in casu?*

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 11. Sept. 1734.

Beatissime Pater. Sacerdos N. Canonicus in Ecclesia Cathedrali N. humillime exponit se fuisse ab Ilmo et Rmo Episcopo renuntiatum theologum, non quidem mediante erectione praebendae theologalis et institutione canonica sed tanquam theologum amovibilem ad nutum Episcopi juxta usum, qui videtur invaluisse in quibusdam Ecclesiis Cathedralibus Galliarum. Cum itaque Orator non sit verus Canonicus Theologus in sensu juris et insuper in ipsa Cathedrali quotannis habeantur praedicationes solemniores tempore Adventus et Quadragesimae, quae impediunt, ne ipse suo qualicumque Officio in eadem fungatur, humillime postulat facultatem apostolicam abessendi a residentia et choro cum privilegio lucrandi distributiones seu non amittendi puncturas chorales, ad effectum ut vocatus a Rmo Antistite suo vel eo annuente ab aliis Ordinariis possit peragere easdem solemniores praedi-



cationes tempore Adventus et Quadragesimae in aliena Ecclesia. Quam quidem singularem facultatem Sanctitas Vestra concedere dignetur, attenta praesertim necessitate verbi Dei praedicandi in istis regionibus necnon defectu ministrorum ad opus Dei exercendum. Quod Deus etc.

Die 19. Jan. 1857 SSmus Dominus Noster, audita relatione infrascripti secretarii S. C. C., benigne commisit Episcopo N., ut, veris existentibus narratis ac dummodo chori servitium detrimentum non patiat, pro suo arbitrio et conscientia oratori gratis indulgeat, ut enunciatis temporibus ex causa praemissa per decennium proximum tantum a sua residentia abesse possit et nihilominus fructus omnes sui canonicatus percipere valeat, amissis tantum distributionibus quotidianis quantum ex praedicatione congruum emolumentum recipiat. Quod si fructus omnes ipsis distributionibus constant vel si redditus praebendae tertiam distributionum partem non attingant, duas ex tribus partibus distributionum vel praebendae ac distributionum insimul cumularum respective percipiat, amissa tertia, quae inservientibus accrescat.

(Anal. J. P. 1857 p. 2720.)

f) *Canonicorum Monachorum.*

Vd.: *Resid. Canon. Paroch.*

Fulden.

Cum san. mem. Bened. XIV. datis 3. nonas Octobris anni 1752 apostol. literis abbatialem Ecclesiam Fuldensis Monasterii Ordinis s. Benedicti in Cathedrali ac Episcopalem erexerit et pro tempore existentes Monasterii Abbates declaraverit in veros Praesules et Episcopos, sollicitus de Regulari Capitulo iisdem assignando statuit, ut istud ad quatuordecim vel quindecim Monachis professis ejusdem Ordinis

componeretur, videlicet ex Decano, prima atque unica post abbatialem Dignitate, cui perpetuo adnexa est praepositura s. Andreae prope Fuldam; ex octo Praepositis degentibus in octo monasteriis seu praeposituris ejusdem Ordinis a primo dicto tamen monasterio dependentibus, ac demum ex aliis quinque vel sex Monachis non praepositis, quorum unus apud dictum Decanum, reliqui vero cum ipsis Praepositis tanquam illorum Socii et Commensales respective commorarentur.

Ad hoc tamen, ut ipsi Ecclesiae in Episcopalem erectae splendidiore decore inserviretur, hanc residentiae legem dictis Capitularibus imposuit, „ut nimirum quinque ex octo Praepositis alternatim per integrum mensem quolibet anno, reliqui autem quatuor vel quinque Monachi Capitulares pro tempore existentes, hujusmodi etiam alternatim per integros sex menses (nisi aliter tam quoad octo Praepositos, quam alios Capitulares non Praepositos Monachos praefatos super residentia hujusmodi ab apostolica Sede dispositum fuerit) eorum respective residentiam apud eandem Ecclesiam adimplere respective teneantur.“

Deprehendit Episcopus et Abbas Fuldensis hujusmodi residentiae normam pluribus ex capitibus detrimento esse Monasterio, Praeposito et domestico Regulari Ordini ac disciplinae. In sua idcirco sacr. Liminum visitatione anni 1765 preces obtulit Summo Pontifici, ut residendi tempus aliter definire et ad breviores terminos reducere dignaretur. Incommoda haec esse dicuntur, nimirum Praepositos haud parum distare ab Ecclesia Cathedrali. Quamvis enim eorum unus jactu dumtaxat lapidis distet, duo autem ex illis itinere unius tantum horae, duos tamen alios abesse 4 miliaribus germanicis, 56 italicis. Rursus plerasque Praepositura-

rum Ecclesias esse etiam parochiales, quas licet Praepositi per socium sui Ordinis rite approbatum administrent, iidem tamen Praepositi eorum, quae divinum cultum spectant, potiore gerunt curam potioreque divinorum Officiorum partem in dictis suis Ecclesiis obire solent. Hinc necessario sequi, ait, ut diuturniori Praepositorum absentia divinus in iis Ecclesiis imminuatur cultus et animarum cura Praepositorum regimini concreditarum negligatur simul cum illa rei familiaris. Haec inspectis Praepositorum personis. Quoad Capitulares vero Praepositos, qui cum illis commorantur, observandum proponit, praescriptam residentiae legem plurimum afferre incommodi tum Capitularibus ipsis, Praepositis ac Praepositarum Ecclesiis ob non modicam Cathedrali distantiam, et diuturnius absentiae tempus, tum Monasterio Fuldensi s. Salvatoris, in quod transfertur onus hospitii victusque iisdem Capitularibus praestandi, praeter non modicam perturbationem domestici Ordinis ac disciplinae, quae eodem in Monasterio Fuldensi servatur.

Subjungit autem, eo etiam non servato residentiae modo, qui in erectionis Bulla statuitur, semper tamen futuros Capitularium aliquos, qui Fuldensi in Monasterio resideant ac praesto sint ad quaecunque negotia, interdum etiam subitanea, quae sint capitulariter tractanda. „Nam primum, inquit, Decanus Capituli continuo fere residet ac praesens est, quemadmodum et unus alterve ex Capitularibus non Praepositis, qui una cum Conventus Superiore praefato continuam faciunt residentiam. Deinde qui ex Praepositis sunt proximiores minusque distant, si quid extra ordinem emergat, facile possunt convocari. Ex vetustis praeterea Constitutionibus quatuor per annum vicibus, singulo nempe trimestri, omnes de

Capitulo, nisi qui legitime impediatur, Fuldam solent ac tenentur convenire de rebus statum patriae publicum concernentibus potissimum tractaturi. At enim hic eorum Conventus paucorum solet esse dierum, quibus elapsis mox illi ad suas redeunt Praepositorum, ne quid in iis negligatur, quod vel ad Dei cultum vel ad rem pertinet familiarem. Atque hinc in aliquo vero sensu dici potest, Ecclesiam Cathedrali nunquam destitui Capitulo residente.“

Re a Summo Pontifice mandata S. huic Congregationi, haec Fuldensi Episcopo rescribens validissimis illi rationibus moveri significavit. Dubia tamen de modo, qui definiendus esset in eadem residentiae lege imminuenda, eidem commisit Episcopo, ut potiore aliquam residendi formam locis ac temporibus accommodatorem inveniret inventamque ac accurate praescriptam ad S. Congregationem transmitteret.

Episcopus vero respondit, nullam omnino se invenire potuisse certam constantemque residentiae formam ac legem locis ac temporibus accommodatam, cum fieri possit, ut pro temporum circumstantiis, quae quidem esse non semper eadem solent, attenta praesertim Capitularium illius Ecclesiae qualitate, diversitate locorumque, in quibus commorantur, distantia, quae circa residentiam statui uno tempore contingat, minus fortasse congruent pro alio. Sibi magis opportunum videri, ait, „conscientiae Episcopi et Abbatis pro tempore existentis rem hanc committere, qui siquidem modum residentiae tractu temporis fallere perspexerit, alium, quem in Domino expedire censuerit, valeat praefinire ac vel minuere limites residentiae vel etiam ampliare.“ Haec aliaque ad id spectantia plenissime intelligent EE. PP. ex circumferendo supplici libello Episcopi et Abbatis Fuldensis.



Datis iterum literis ad Coloniae Nuntium, ut iis, quorum intererat, auditis animi sui sententiam hac de re aperiret, Is omnibus mature recteque perpensis aequum sibi maxime videri respondit, ut precibus Episcopi et Abbatibus deferatur ejusque prudenti relinquatur arbitrio atque conscientiae, residentiae modum locis temporibus-accommodatiorem definire, ea tamen lege, ut aliqui ex Capitularibus semper resideant penes Ecclesiam Cathedralis et choro intersint, ne eadem Ecclesia Capitulo residente unquam destituatur. Exploratum est, pluribus ex causis fieri posse, ut residendi onus, quod Dignitatibus et Canonicis in Cathedrali Ecclesia alias incumberet, vel imminui possit vel penitus dispensari. Inter caeteras vero ea praecipue recensetur, quum Canonici addicti sunt animarum curae in locis a Cathedrali dissitis. Quidquid enim esset de jure antiquo, jure recentiori cautum est, ut qui una cum canonicatu parochialem obtinet Ecclesiam, residere teneatur in parochiali. In id plenissime quadrant *Concilii Tridentini verba sess. 22. cap. 3.*: „Quod si alicui ex praedictis Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis, de jure seu consuetudine, jurisdictio, administratio vel Officium non competat, sed extra civitatem in dioecesi cura animarum immineat, cui is, qui dignitatem obtinet, incumbere voluerit; tunc pro tempore, quo in curata Ecclesia resederit ac ministraverit, tanquam praesens sit ac divinis intersit in Ecclesiis Cathedralibus ac Collegiatis habeatur.“ Id praeterea disertis verbis mandavit s. Pius V. in sua Constitut. 65.: *Cupientes etc.* hac addita ratione: „Cum prima et praecipua debeat esse cura animarum“, *Fagnan.* in cap.: *Licet* de praebendis num. 67 et 121., *Gonzalez* in reg. 8. Cancell. gloss. 6. num. 268., *Bened. XIV.* Insitt. 107.

§. 9., *Coecoper.* leg. 2. tit. 11. n. 24. et seq. Id demum declaratum fuisse ab hac S. Congr. referunt *Garzia* de Benef. part. 3. cap. 2. num. 179., *Pasqualig.* decis. 465. n. 2., *Fagnan.* l. c., qui praeterea addit, proposito dubio: „An habens parochialem et canonicatum excludatur a servitio canonicatus?“ censuisse S. Congregationem: non excludi, dummodo omnibus diebus et horis prius debitis parochiali inservierit, ut nihil prorsus deperat debito servitio parochialis.

*Quod sibi magis vindicat locum, quoties de iis agitur Canonicis seu Capitularibus, quos honorarios dicimus, qui scilicet neque ex Ordinis instituto neque ex lege foundationis neque ratione Praebendarum portionumve ad residendum compelluntur.* Hi enim, qui Cathedralis stipendiis haud militant nullosque ex ea fructus percipiunt, ad residentiam cogi non possunt. S. C. in Veliterna 5. Julii 1727. *Lotter.* de re benef. quaest. 27. n. 30. lib. 3., *Seraphin.* decis. 1452. n. 2. et seq., *Scarfontan.* ad *Coecoper.* lib. 1. tit. 14. n. 9 et 10. Eo vel magis cum sermo est de Cathedrali Ecclesia, cui Capitularibus et Canonicis deficientibus praesto sunt, qui ejus servitio sedulo incumbant divinisque persolvendis Officiis egregiam dent operam, ita ut divinus cultus ne minimum quidem detrimentum patiat. Hac porro sub clausula *Caurien.* Episcopo indulset S. Congregatio die 15. Octbr. 1580, ut longius vacationum tempus, quam Concilium Tridentinum sanxerat, Canonicis impertiretur „cum eo tamen, ut provideas, ne unquam servitio chori, qui Dignitates obtinent, Canonici et Portionarii pauciores absint eo numero, qui tibi sufficiens fuerit ad tuendum cultum divinum et Ecclesiae dignitatem, ut habetur apud *Garz.* loco cit. num. 413.“

Perpendendum est itaque: an haec locum habeant in Capitularibus Fuldensibus? Hi neque ex Ordinis instituto neque ex foundationis lege neque ratione distributionum ad residentiam adiguntur. Nihil commodi percipiunt a mensa Cathedralis Ecclesiae, sed ex Praepositarum redditibus aluntur et vivunt. Sunt praeterea ex sui Ordinis instituto earundem Praepositarum servitio addicti ibique praesunt non rei tantum familiari, sed animarum potissimum curae divinoque itidem cultui tuendo augendoque. His demum procul a Cathedrali commorantibus divinus in ea cultus nullum patitur detrimentum, propterea quod praeter Novitios sex et quadraginta monachi professi in eadem Cathedrali Ecclesia horis diurnis pariter ac nocturnis ex primaevo instituto inserviunt choro et, quo decet, ordine ac decore divina peragunt Officia.

Animadvertendum et illud, Capitularum instituendorum rationem non eam tantummodo fuisse, ut Canonici et Capitulares in divinis celebrandis Officiis occuparentur: verum etiam, ut suo consilio et opera Episcopis in Ecclesiae regimine opem ferrent. Disciplina haec ab antiquissimis est ducta temporibus. Quamvis enim nulla essent Cathedralium Ecclesiarum instituta Capitula, praecipuum tamen fuit in Concilio Carthaginensi IV. can. 22. „ut Episcopus sine consensu Clericorum suorum Clericos non ordinet, et can. 23., ut Episcopus nullus causam audiat absque consensu Clericorum suorum; alioqui irrita erit sententia Episcopi, nisi Clericorum sententia confirmetur.“

Institutis autem saeculorum progressu Cathedralibus Capitulis Ecclesiae regimini convenire iudicatum est, ut Episcopi in Ecclesiae suae administratione Canonicorum Cathedralium opera et consilio uterentur; imo

et in quibusdam ne sine eorum assensu procedere possent. Hinc Alexander III. cap.: *Novit de his quae fiunt a Praelato sine consensu Capituli* hunc in modum scripsit ad Patriarcham Hierosolymitanum: „Novit plenius tuae discretionis prudentia, qualiter Tu et Fratres tui unum corpus sitis, ita quod Tu caput et illi membra esse probantur. Unde non decet, te, omissis membris, aliorum Consilio in Ecclesiae tuae negotiis uti, cum id non sit dubium et honestati tuae et Sanctorum Patrum Constitutionibus contraire.“ Eadem rursus eidem rescribit cap. 4. eod. tit. Hinc etiam Conc. Trid. passim mandat Episcopis, ut in negotiis Ecclesiae definiendis consensum adhibeant vel Consilium Capituli, eamque ob causam sess. 22. cap. 12. de Reform. coetum Canonicorum merito vocari posse ait Ecclesiae Senatam. Hinc etiam prae oculis habere praestat Cathedralis Ecclesiam esse minime posse sine Capitulo perpetuo in eadem residente. Ad Capitulum vero constituendum tres saltem Capitulares requiri, *leg. Neratius ff. de V. S. gloss. in clem. quod circa de elect., Navar. leg. 1. cons. 6. n. 1. de elect.* Fieri igitur nequit, ut in Cathedrali Ecclesia Capitulum residere censeatur, nisi tres saltem perpetuo in ea resideant Capitulares, qui praesto sint negotiis capitulariter pertractandis, interdum etiam subitaneis et quae nullam temporis moram patiantur.

His itaque serio perpensis dignabuntur EE. PP. suum proderere iudicium:

*An consulendum sit SS. pro moderatione residentiae in casu?*

S. C. resp.: Dilata et scribatur Episcopo juxta instructionem non retardata interim executione Bullae Benedictinae.

Die 12. Nov. et 12. Dec. 1767.



## g) Canonici Parochi.

Eum, qui habeat praebendam vel dignitatem, cui annexa sit alia paroch. Ecclesia, residere debere in loco Ecclesiae Collegiatae, ut majoris et dignioris, praesertim quum cum ipsa praebenda conjuncta sit cura animarum, quamvis parochia extra locum Ecclesiae Colleg. annexa plures habeat incolas.

S. C. C. die 19. Julii 1732 *Aquilana*.

Canonicum, cui ex indulto ap. Ecclesia paroch. in alia urbe dioecesis collata fuit cum facultate residendi alternatim in alterutra Ecclesia per sex menses, quum non resideret nec bis citatus ad parochiam rediisset, sed suspectum Episcopum allegasset, Episcopus deputato pro exercenda cura animarum vicario et pro fructibus eligendis oeconomus, rejecta quoque appellatione quoad effectum suspensivum, beneficio parochiali privatum declaravit et ad fructus a die ap. indulti perceptos restituendos condemnavit. Quum ille sub appellationis interpositae obtentu Vicarium ac oeconomum molestare non desisteret, res ad S. C. est delata, quae sententiam privationis sustinendam esse censuit.

Die 3. Dec. 1729 *Trident.* (Conc. Tr. sess. 6. cap. 2.; sess. 23. cap. 1.)

*Tridentina.*

(Conc. Tr. sess. 23. cap. 1. De Ref.)

Carolus Ferdinandus ex Comitibus de . . . cum possideret canonicatum et praeposituram in Cathedrali Ecclesia Tridentina insimul cum parochiali Ecclesia Villae Langrinae ejusdem dioecesis, dispensationem apostolicam de voto hujus S. C. obtinuit, ut per sex menses cujuslibet anni abesse posset a residentia parochiae, relicto ibi idoneo Vicario pro cura animarum, dummodo tamen residen-

tiam servaret quoad Canonicatum in dicta Cathedrali Tridentina.

Provisus deinde fuit a Sancta Sede de alio Canonicatu in Ecclesia Salisburgensi cum priorum retentione, ac indulta ei fuit in iisdem literis provisionis licentia abessendi per reliquos sex menses a supradicta Ecclesia parochiali.

Denunciato tamen de anno 1719 san. mem. Clementi XI., quod Canonicus praefatus praedictam parochiam omnino deseruerat ac numquam in ea resederit, habitaque insuper notitia de dicto voto seu decreto S. C., cum quo dispensatus fuit tantum a residentia per sex menses quolibet anno, idem Summus Pontifex cum ejus motu proprio expedito 5. Calendas Martii ejusdem anni revocavit dictum posterius indultum et mandavit, ut dictus Canonicus per sex menses cujuslibet anni tantum abesse posset a parochia ad formam rescripti hujus S. C., dummodo tamen resideret in prima dicta Ecclesia Tridentina et quoties supradictum rescriptum adamussim non adimpleverit, rescriptum ipsum nullum et revocatum pariter esse voluit.

Ut omnimodo executio eidem motui proprio daretur, transmissus fuit per organum secretariae status Episcopo Tridentino, eum admonendo de ejus pastoralis debito revocandi Canonicum de . . . ad residentiam utriusque Ecclesiae modo supra praescripto cum praefixione competentis termini duorum vel trium mensium; aliamque epistolam ipsi Comiti de Lodron directam cum annexo exemplo dicti motus proprii scribi etiam et transmitti voluit per Emum Pro-Datarium, qua certior reddebatur de mente Sanctissimi et quod ulterior terminus quam duorum vel trium mensium ad restituendum se residentiae non praefigeretur.

Munus sibi injunctum adimplevit Episcopus, transmisit enim ad Comitem Viennae tunc degentem, eidemque praesentari curavit die 26. Apr. 1719 coram notario et testibus praefatum motum proprium ac geminas epistolas Erum Cardinalium Secretarii Status et Pro-Datarii propriamque epistolam adjunxit, qua pastoralis charitate illum ad residentiam revocabat cum praefixione termini trium mensium. Adhuc tamen insordescente Comite, quinimmo se jactante, novum habuisse recursum ad Sanctam Sedem, Episcopus, ut tutius procederet, consulendum duxit Emum Secretarium et hanc Sac. Conc., quomodo se gerere deberet, et responso ab utroque accepto, ut eum cogeret ad residendum ad tramites dispositionis S. C. sess. 23. cap. 1. de Reform., sub die 22. Apr. 1720 eundem personaliter citari curavit, quatenus intra terminum dierum sex ad parochiam se conferret et alia similis citatio repetita fuit sub die 7. Julii 1721.

Comes vero ad colorandam propriam contumaciam et effugiendum iudicium Episcopi istum in suspectum allegavit, addens se multis litibus distractum residere non posse in dicta parochiali Ecclesia, maxime quia ibi decens habitatio non aderat nec id ratio suae valetudinis ferebat; at vero Episcopus his minime attentis ac utendo arbitrio sibi tributo a Sac. Conc. in sess. 23. cap. 1. de Reform. procedendi scilicet ab initio ad privationem beneficii, absque eo quod experiri prius teneretur alia remedia censurarum et subtractionis fructuum, ut contra Ugolinum ac antiquam opinionem Rotae decis. 27. coram Seraphin, de mente hujus S. C. tradunt *Garz.* de benef. in addit. ad partem 3. cap. 2. n. 139., *Barbos.* ad dictum cap. 1. n. 74. et *Fagnan.* in cap. ex suae n. 18. et 30. de Cleric. non resident.,

sub die 20. Sept. 1724 sententiam pronunciavit, qua comitem beneficio parochiali privatum eundemque teneri ad restitutionem fructuum per ipsum perceptorum a die sibi intimati motus proprii Summi Pontificis declaravit ac deinde deputavit Vicarium pro exercitio Curae et Oeconomum pro collectione fructuum appellationemque desuper a Comite interpositam quoad effectum suspensivum rejecit eidemque inhiuit, ne se amplius ingereret in officio parochi nec impediret aut molestaret Vicarium deputatum sub poena excommunicationis.

Sed quia idem Comes sub obtentu appellationis interpositae tum ad tribunal Nuntiaturae, tum ad a. C. turbare non destitit Vicarium in exercitio Curae ac Oeconomum in executione fructuum, habito per promotorem fiscale Curiae Episcopalis recursu ad auditorem Sanctissimi, iste causam remisit ad hanc S. C., cum facultate purgandi hinc inde praetensa attentata; quare resolvenda proponuntur EE. VV. sequentia dubia:

I. *An sententia privationis Ecclesiae Archipresbyteralis Villae Legarinae sustineatur in casu?*

II. *An constet de attentatis hinc inde et an et quomodo sint purganda in casu?*

S. C. C. resp. ad I.: Affirmative; ad II.: Provisum in primo.

Die 3. Sept. et 3. Dec. 1729.

*Limburgen. Residentiae.*

Episcopus Limburgensis supplici libello SSmo D. N. exhibito et S. C. remisso haec exponit: Vi bullae, quae incipit: *Provida solersque*, cum quatuor Canonicis hujus meae Cathedralis, primo nempe, tertio, quarto et quinto, qui simul parochi sunt ecclesiarum Limburgensis, Dietkirchensis, in Altavilla et in libera civitate Francofurtensi



ejusque territorio, super dictarum retentione parocciarum apostolica auctoritate dispensatum fuerit, „cum hoc tamen, quod curae animarum parocciarum hujusmodi per idoneos Vicarios ab Ordinario servatis servandis ad formam canonicarum sanctionum approbandos et instituendos opportune provideatur.“

„Ultimae huic laudatae Bullae sanctioni per longam annorum seriem satisfactum non est, ita ut dicti quatuor Canonici, deficiente omnino salario Vicariis eorum instituendis necessario, parochiarum canonicatibus suis unitarum sive incorporatarum administrationi operam dederint atque ideo a munere quod ceu Canonicis Ecclesiae Cathedralis Limburgensis necnon consiliariis Episcopi eisdem incumbit, abstracti extiterint, donec paucis ab hinc annis, uti Sanctitati tuae tunc retuli, petitionibus meis cedens Serenissimus Nassoviae Dux, modo utique tantum provisorio, salarii annuum 1600 florenorum, quobini Canonicorum, primi et tertii, Vicarii sustentarentur, assignavit.“

„Quod ad quartum Canonicum spectat, nulli quidem parcam operae, ut et ipse, cum canonicatus, quocum parochia in Altavilla est conjunctus, quique modo vacat, denuo conferetur, Vicario et illic constituto, Limburgi sedem suam figat atque instar primi et tertii Canonici solis canonicatus sui Officiis occupetur, nec dubito quin conatus hac in re a me exercendus optatos sit secuturus effectus, praesertim si a S. Sede Apostolica benigne foveatur.“

„Majores autem ea, quam executioni laudatae Bullae quoad quintum Canonicum simul parochum Francofurtensem dare non omittam, opera offendet difficultates. At et hic sperigor fore, ut, si Sanctitas Tua mea obsecundare dignabitur molimina, iis-

dem posthac non desit successus. Hisce enim a te, Beatissime Pater, humiliter peto, ut cum actuali nuper installato Canonico quinto, nempe Domino Eugenio Theodoro Tissen, eatenus dispensare digneris, ut, quemadmodum provisorio modo usque huc me jubente jam fecit, amplius per aliquod tempus, forte per annum unum, relaxata hic Limburgi residendi obligatione, Francofurti qua administrator parochiae ad s. Bartholomaeum morandi ipsi fiat facultas, donec scilicet et ipsi Vicarius, quem memorata Bulla praescribit, sufficiatur. Quod si literis dispensatoriis, quas enixe efflagito, eam dispensationis conditionem aperte significaveris, ut videlicet quantocius dictum Vicarium constitui vi Bullae incipientis: *Provida solersque etc.* omnino necesse sit, magno ea declaratio mihi erit usui, quo facilius Senatui Francofurtensi persuadeam, quod Dux Nassoviae quoad parochias Limburgensem et Dietkirchensem concessit, et ipsum quoad parochiam ad s. Bartholomaeum concedere debere, eam nimirum annuam pecuniae summam assignare, quae Vicario juxta Bullam superius memoratam pro dicta parochia constituendo sufficiat.“

Quamvis Episcopi petitio juris sanctionibus manifesto adversetur et citatae Bullae dispositioni, attamen, cum praesto non sit aliud remedium, quo et residentiae legi, qua Canonicus obstringitur, satisfiat et parochiae una simul provideatur, excipienda benigno responso videretur, ita publicae necessitatis et utilitatis postulante ratione. Caeterum provisorie et temporanee cum praefato Canonico curato dispensandum exorat Episcopus, quousque nimirum salarii Vicario constituendum a civili gubernio assignetur, ceu cum caeteris Canonicis animarum curae praepositis factitatum est anteacto tempore, quum scilicet

Vicarii curati auxilio destituerentur. Quare etc. Sacra etc. resp.: *Pro gratia juxta petita ad annum.*

Die 24. Nov. 1860.

(Anal. J. P. 1864 p. 461.)

h) Canon. parochi, qui duab. parochiis praest.

Vd.: *Resident. parochi* (qui duas etc.).

Aquilana.

(Conc. Tr. cap. 2. sess. 6.; cap. 1. sess. 23. De Ref.)

Binae sunt Ecclesiae eundem habentes titulum s. Pauli de Barete, altera nimirum antiquior extra civitatem Aquilae, altera recentior intra illam. Etenim post reaedificationem Aquilae civitatis aliquot familiae ab Oppido Baretis domicilium transtulerunt ad eandem Urbem, ubi constructa Ecclesia sub invocatione s. Pauli de Barete Archipresbyter dicti Oppidi sive Terrae Baretis penes ipsam novam Ecclesiam residere coepit cum exercitio curae animarum tam quoad populum dictae Terrae quam quoad familias, quae ex ea transtulerant sedem ad civitatem; indeque etiam orta fuit nuncupatio populo dentro, e populo fuori della Barete. Ecclesia autem illa intra civitatem est quoque Collegiata et praeter memoratum Archipresbyterum constat ex tribus Canonicis et pluribus capellanis, a quibus Divina Officia persolvuntur.

Anno 1697 Universitas dictae Terrae Baretis exposuit huic S. C. jam defecisse familias intra civitatem Aquilae antea existentes, quarum spirituali regimini providisse Archipresbyterum; ideoque postulavit, eum potius compelli ad residendum in antiqua parochiali Ecclesia Terrae Baretis, cui subjectae erant 1300 Animae. Itaque S. C. commisit Episcopo Aquilano, ut, si narrata niterentur veritate, cogeret Juris

Decreta authentica. Tom. III.

remediis Archipresbyterum ad residendum in dicta Ecclesia Terrae Baretis.

Archipresbyter tunc temporis erat Paschalis Martellus, qui in executionem illius decreti suam constituit residentiam in dicta Terra Baretis et sub annum 1701 obtinuit etiam per sententiam A. C. rejici instantiam Canonicorum Collegiatae Ecclesiae s. Pauli de Barete existentis intra civitatem Aquilae, qui contendebant non posse Archipresbyterum abesse ab hac Ecclesia et distributiones quotidianas in absentia percipere. Pronunciavit enim A. C. Martellum Archipresbyterum atque eos, qui deinceps in Archipresbyteratum succederent, residere ex vi memorati decreti hujus S. C. debere in Terra Baretis et nihilominus assequi distributiones promanantes ex Massa capitulari dictae Collegiatae Ecclesiae s. Pauli intra civitatem sitae, prout servatum hucusque fuit. Quinimo Archipresbyter emolumenta omnia etiam funeraria participare consuevit in duplo, licet absens a praedicta Collegiata et residens apud aliam Ecclesiam parochialem Terrae Baretis.

Animadvertendum praeterea est, quod (ut refert Episcopus) familiae, quae parochiali jure addictae sunt praefatae Ecclesiae Collegiatae, octo nunc sunt; et plures erant sub annum 1697, quo prodiit memorata hujus S. C. resolutio, quamvis tunc temporis nullas omnino extitisse asseveratum pro certo fuerit. Subjungit etiam Episcopus, Archipresbyterum Officio parochi perfungi debere in sex et viginti personas, servitio ejusdem Collegiatae Ecclesiae adscriptas, Canonicos scilicet et Capellanos.

Existunt in eadem civitate Aquilae etiam aliae similes Collegiatae Ecclesiae, quibus unitae sunt parochiales Ecclesiae suburbicariae. Earum vero Archipresbyteri, quibus imminet cura